



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt II. Pleraque, quæ vulgò mala dicuntur, bona esse; aut in bonu[m]
vsum posse adhiberi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

aliquid perpetiuntur; sententiâ prorsus diuinis litteris aduersâ, cum, in illis, beati vocentur, qui propter iustitiam, persecutionem patiuntur; & charissimi DEO dicantur, in Mundo, pressuram habituri. Quod si perpenderent isti, minùs multò audacter quiritarent, quàm nunc quiritant, & linguam ad suos potiùs mores diuertent, quàm ad accusandam diuinam bonitatem.

C A P V T II.

Pleraq, quæ vulgò mala dicuntur, bona esse; aut in bonum usum, posse adhiberi.

I. **A**D communem Mundi gubernatorem pertinet, eadem lege, eademque naturæ conditione, uti erga omnes, ut dici possit: *Rex Iuppiter omnibus idem.* Necessè igitur fuit, ut ignis vim vrendi aquæ, ac lucendi; & omne corpus, ex elementis conflatum, perinde interitum suum, ac ortum haberet; neque ea, quæ ad rerum generationem atque corruptionem spectant, prohiberentur. Hinc morbi, mortes, & multa, quæ mala vocantur, intercurrunt: quæ quando rerum naturis conuenienter condidit DEVS, non utique iratus fuit, cum non haberet, cui irasceret. Ut sol omnibus lucem circumferret, moueri debuit; si moueri, occumbere. Nec enim rursus oriri posset, si non occumberet. Quare necessaria est noctis & diei vicissitudo. Nec homines hominibus, in officijs, in regnis, in potestate succederent; si non decederent, qui ea priùs habuere.

II. Per hæc, æterna sapientia ita Mundum gubernandum iudicauit, ut, quæ malis mala sunt, quia ipsi nesciunt vti, ea bonis bona fiant; & hinc isti viuant, sicut liliam inter spinas; illi, sicut asinus inter apes. Hac de causa Gentes ita alloquitur Tertullianus: *Qui semel (DEVS) æternum iudicium destinauit, post seculi finem, non precipitat discretionem, quæ est conditio iudicij, ante seculi finem. Equalis est interim, super omne hominum genus, & indulgens & increpitans. Communia voluit esse & commoda profanis, & incommoda suis; ut pari consortio omnes & lenitatem eius, & seueritatem experiremur: quia æquitatem didicimus, apud ipsum, diligimus lenitatem, metumimus seueritatem. Vos (Gentes) contra utramq, despicitis: & sequitur,*

IIIIV
ad illud I
quod dicitur
supra dicitur
et dicitur
et dicitur
et dicitur
et dicitur
et dicitur
et dicitur
et dicitur

Cant. 2. 2.

Tertull. in
Apologet.
aduersus
Gent. c. 41.

quitur, ut omnes seculi plaga nobis, si forte in admonitionem, vobis in castigationem, à Deo obuenant. Atqui nos nullo modo ledimur: inprimis quia nihil nostra refert, in hoc auro, nisi de eo, quàm celeriter, excedere. Dehinc, quia si quid aduersi infligitur, vestris meritis deputatur. Sed etsi aliqua nos quoque perstringunt, ut vobis coherentes; latamur magis, recognitione diuinarum prædicationum, confirmantium scilicet fiduciam & fidem spei nostræ. Sunt enim quasi arrha, aut diuinæ amicitie symbolum, quæcunque nos inuitant, immo, tanquam calcæria, incitant, ut ad melioris vitæ brauium alacrius decurramus.

Non igitur mala sunt, quæ mala vulgò censentur, nisi malis; quibus ipsa bona nocent, non tamen idcirco in malis numeranda. Vis videre, quo modo bona malis noceant? Aristotelem audi. *Ut homo, inquit, perfectionem nactus, animantium est optimus; sic cum à lege iustitiæq; discessit, omnium pessimus habetur: importunissima est enim armata iniustitia. At homo prudentia & virtute (hoc est, solertia in rebus agendis, & potestate operandi) armatus est à natura, quibus maxime potest in res contrarias uti. Itaque, impie nefarius, atq; immanissimus, absq; virtute, (vera & morali) sit & in venerem, & gulam turpissimus. Quis ingenium acre, rem malam vocet, quia eo malè vititur Sinon, aut Vlysses? In se bona, bona semper manent, nisi sine, & vsu contagium trahant: non tamen idcirco nomen mutant. Quare neque illa debent malorum nomine damnari, quæ sine & vsu sunt optima: neque ea bona nimium adorari, quæ, cum scopo & vsu soleant pessimos facere, tamen sunt in summa, apud mortales, æstimatione, & ferè sola bona nominari consueuerunt. Si tamen, etiam in his ipsis bonis dignoscendis, non errant. Quemadmodum enim in speculis, quæ dextera sunt, sinistra; & quæ sinistra, dextera apparent; & nauigantibus rates stare, litto-
ra ambulare videntur: ita ijs, qui peruerso sunt iudicio, mens vertigine titubat, & amantis DEI beneficia titulo malorum infamat. Quidquid à DEO est, bonum est, quia ipse bonus: si quid malum esse incipit, à nobis incipit bonis malè vtentibus. Paupertatem, inopiam, matrimonium rixosum, morbos, mortem, mala vocas? In-
iuriam facis: non enim sunt mala, quæ faciunt bonos, aut malis nos eripiunt. Repete veteres memorias, & inuenies plures, quos egestas ad moderationem, conuicia ad patientiam, inualetudo ad fru-*

VI
III.

Aristot. lib. r.
Polit. cap. 2.

genera

gem reduxit. In tuummet sinum inspicere, & cogitare, quoties te angustia, cura, dolores refrænârint in præcipitia ruentem? quoties ad DEVM aegerint trepidantem. An illa mala esse arbitraris, à quibus, à vitæ licentia, fuisti retractus, & ductus ad salutis fontem? Noli ergo, malorum nomine, res tibi tam bonas deuenustare. Quis agricola, sarculum, aratrum, stiuam, mala vocat? Sunt tamen illa laboris instrumentum, & fatigant illum. At sine illis, vt non ferit, ita nec metit.

IV.

Fortunæ mancipia nominum ludibrijs pascuntur, &, inter summa bona, nominant res nocituras. Qui mente carent, apud eos fulgor externus primas partes agit. Charius illis est plumbum auratum, quàm plumbò inclusum aurum. Mundus suspicit captos cupiditatibus Reges, qui, catenatæ instar simiæ, in purpura circumducuntur. Communis hic est error: perfunctoriè pretia æstimantur, & pluris fit, quod apparet, quàm quod est in recessu. Ideo & gemmæ negliguntur, quando non sunt politæ, vt splendeant. Longè alia essent iudicia, si, detractis laruis, quæ latent, inspicerentur; nemo adoraret Charetis pollicitationes; nemo crucis thesauros contemneret, qui profanis oculis non ostenduntur, si lynx esset; immò nisi talpa esset. Nam multi *oculos habent, & non vident*, quid vel Mundus, vel DEVS condat.

Psal. 113. 13.

V.
Plato in
Conuiuio.
Erasmi. Chil.
3. Cent. 3.

Alcibiades, apud Platonem, Socratis encomium dicturus, eum Silenis similem facit, quòd is multò alius esset propius intuenti, quàm summo habitu specieque videretur. Quem, si de summa, quod dici solet, cute quis æstimasset, non emisset asse. Facies erat rusticana; taurinus aspectus; nares simæ, mucòque plenæ. Sannionem quempiam, bardum, ac stupidum dixisset. Cultus neglectus, sermo simplex ac plebeius, & humilis, vt qui semper aurigas, cerdones, fullones, & fabros haberet in ore. Nam hinc ferè sumebat illas suas inductiones, quibus vrgebat in disputando. Fortunæ tenuis vxor, qualem ne vilissimus quidem carbonarius ducere posset. Videbatur ineptus ad omnia Reipublicæ munia; adeò, vt, quodam die, nescio quid, apud populum, adorsus agere, cum risu sit explosus. Denique iocus ille perpetuus nonnullam habebat morionis speciem. Cùm, ea tempestate, ad insaniam vsque, ferueret, inter stultos, profitendi sapientiam ambitio, nec vnus esset

Gorgias

Gorgias, qui, se nihil nescire, iactaret, & ardelionibus huiusmodi nusquam non referta essent omnia, solus hic homo, *unum se scire*, dictitabat, quod nihil sciret. Atqui, si Silenum hunc explicuisses, videlicet numen inuenisses potius, quam hominem; animum ingentem, sublimem, ac verè Philosophicum, omnium rerum, pro quibus cæteri mortales currunt, nauigant, sudant, litigant, belligerantur, contemptorem; iniurijs omnibus superiorem, & in quem nullum omnino ius haberet fortuna, & vsque adeò nihil timentem, vt mortem quoque nulli non formidatam contempserit: in tantum, vt cicutam eodem biberit vultu, quo vinum solet; vtque iam moriens etiam in Phædonem suum iocaretur, & sapiens oraculo, immo omnium mortalium sapientissimus pronunciaretur.

Hunc talem, facie vilem, pectore incomparabilem Alcibiades cum Silenis idcirco contulit; quia olim Sileni statuzæ feciles fuerunt, & ita concinnatæ, vt diduci & explicari possent. Clausæ ridiculam ac monstrosam tibicinis speciem habebant: apertæ subito numen ostendebant, vt artem sculptoris gratiorem; iocosus faceret error. Imaginum autem istarum argumentum sumptum erat à ridiculo illo Sileno Bacchi pædagogo, numinumque Poëticorum morione. Ita nimirum non solum multi hominum habitu, vultuq; longè minùs præ se ferunt, quàm in animo claudant; sed quàm plurimæ res quoque aliæ, in speciem, & primâ, quod aiunt, fronte, malæ, viles, miserabiles videntur, quæ tamen interiùs, ac propiùs contemplanti, atque re ipsa sunt bonæ, pretiosæ, & admirabiles.

Quidquid, in omni genere rerum, præclarior est, id minùs in conspicuo est. In ipsa cognitione, semper germana rerum veritas altissimè latet, qua nec facile, nec à multis deprehenditur. crassum vulgus, quoniam præposterè iudicat, nimirum ex his, qua maxime sensibus corporis obuia sunt, astimans omnia, passim & labitur, & errat, ac falsis bonorum & malorum simulachris deluditur. In summa, prima mundi lex est: **QVÆRENDE FACVLTATES, DEINDE VIRTVS,** cui è diametro oppositam tulit, qui dixit: *Querite primùm regnum Dei, & iustitiam eius.*

Hinc discipulis suis, & amicorum charissimis non promittit diuina Sapiencia fascès, non titulos honorum, non chlamydes & tiaras, non aureos annulos, & montes, & *precedentia longi agminis officia;*

VI.

Matth. 6. 33.

VII.

- Matth. 10. 17. officia; sed opprobria, sed flagella, sed persecutiones. Tradent vos, inquit, in Concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos: & ad Praesides & Reges ducemini, propter me. itémque: Absq; Synagogis facient vos, sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium prestare Deo. Et, in tempore, inibi, appositum est: Hac locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Mundus, & DEI scientiâ destituti scandalizantur; qui DEVM intus nôrunt, qui arcana iudicia, consiliâq; DEI perscrutati sunt, in his rebus, ingentem agnoscunt thesaurum latitare. Verbum enim Crucis pereuntibus quidem stultitia est, ijs autem, qui salui fiunt, id est, nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus, per sapientiam, Deum: placuit Deo, per stultitiam praedicationis, saluos facere credentes. An non enim mundo stultitia videtur, iniurias, contumelias, dolores, calamitates vocare bona? & eos beatos pronunciare, qui persecutionem patiuntur? Et tamen diuina sapientia ita loquitur, quæ etiam addit: Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum, aduersum vos, mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. Si bona est merces hæc, bonus est labor, cui ea promittitur, quia utilis ad eam promerendam. Est enim vtile quoddam utique bonum; & tantò maius bonum, si vtile est ad summam beatitatem.

VIII.

Nemo dicat: si bonus est Deus, cur mala permittit? cum ea, quæ stulti mala putant, bona sint. Nemo dicat: vel potest Deus facere, ut mundus careat arumnis, & non vult facere; vel non potest miseras è terris remouere: si non potest, ergo ipse miser est, quia impotens; si potest, & non arcer, ergo inuidus, aut malignus. Potest omninò Deus, ex exilio, patriam, è Caucaaso Paradisum, è terra, coelum facere; sed non vult, hoc ipso, quia optimus, & quia potentissimus est. Nam ea ipsa, quæ mala putantur, homini optima sunt; ideò ea vult homini, ex sua bonitate, Deus: ut autem optima sint, infinitæ sapientiæ eius, potentia est: quæ vel inde est suspicienda, quia è malis potest bona facere; per labores ad quietem ducere; per dispendia corporis, animæ lucrum procurare; denique

nique per ærumnas, ducere ad veram felicitatem. Quis præmium mereretur, sine labore? Quis coronaretur, nisi legitime certare? 2. Tim. 2. si
 Diuina ars est, hominem premere in hac vita, vt ad alteram erigatur; absynthio terram reddere amaram, vt ad cœlestem anhelet suauitatem, atque ad dulces illos fontes, vnde scaturit veræ torrens *Psalm. 35. 6.*
voluptatis. Denique, qui multis & grauibus huius æui malis vexatur, coniecturam discit facere, quæ, in inferno, futura sit vis tormentorum. Ob has tales causas, si DEVS amicis suis mala immit- tit, nonnè diligit? nonnè vicissim & ipse diligendus est, & censendus bona potius, quàm mala procurauisse? ac, ob vigilantissimam hanc sollicitudinem, paternamque prouidentiam, beneficus potius, quàm durus est appellandus?

Quod si quidam mala malè sustinent, quia ipsi mali, iam multò minùs id, quod malum iudicant, Numini debet attribuire, sed sibi. *In iudicijs, quæ de Deo retuli,* inquit Themistius, *nihil aliud magis elucet beatæ illius natura, quàm ipsa bonitas. Vnde & nomen illi fecimus, idq; tanquam omnium illustrissimum dignissimūq;.* Quando & longi aui esse, & plures potentia superare, multis etiam anime exper- tibus inesse cernimus. Caterùm Homerus hoc non rectè est opinatus, duo, in Iouis domo, dolia jacere, fatis plena, vnum bonis, alterum aduersis. Neque enim malorum, in cœlo, vllum est penu. Sed hinc illa huius dolij confusio, a luto nimirum, terræque, in qua versamur, nosq; illud imple- mus, & euacuamus; neq; puros fluere sinimus fontes illorum cœlestium bonorum, quæ assidue, & indefatigabili animo suppeditat, vt Poësis Phi- losophica ait, bonorum ille largitor, æquitatis promus, cui Iustitia, & recta lex assistet; cui Gratia, Euphrosyne, Aglaia, & Thalia amabilis assistunt; cui omnes ab humanitate appellationes sunt attributæ; vt sunt placidus, amicus, hospitalis, supplicum præsens, urbium custos, **SERVATOR.** Quid aliud multis verbis vult Themistius dicere, quàm quod apud Osecam est, *Perditio tua, Israël, tantummodo in me auxilium tuum?* *Osec. 13. 9.* Poteras, eodem fine, missas à DEO cruces ferre, quo ipse eas vult ferri, & quæ Sancti ferunt. Impatientiâ tuâ tibi crucem malam reddidisti. Porrò malis malè esse, quis indignè ferat? exedunt, quod sibimet intriuerunt. Et, si iustitia bonum quid est, pœna quo- que ipsa, quam iustitia improbis infligit, bona erit; atque ita effici- tur, vt in impijs, in quibus aliud boni nihil est, saltè hoc diuinæ
 B 2 iustitiæ

justitiæ bonum inueniatur; quod, quando, sine emendatione eorū, irritum exit, est tamen alijs in exemplum, atq; hinc etiam bonum; quia malum, quod in vno plectit, in altero impedit. Quanquam etiam sapissimè è malis bonos facit, dum pœnam tanquam à se promeritam, (atque ibi, vbi sine errore æstimatur, hoc est, in conspectu altissimi, bonam) subire non detrectant. Grandia mala Dominus, per virum DEI, minatus erat Heli sacerdoti: *Ecce dies veniunt, & pracidam brachium tuum, & brachium domus Patris tui, ut non sit senex, in domo tua, omnibus diebus. Et videbis emulum tuum, in templo, in vniuersis prosperis Israël &c. ut deficiant oculi tui, & tabescat anima tua, & pars magna domus tua morietur, cum ad virilem aetatem venerit. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filijs tuis, Ophni & Phinees, in die vno, morientur ambo.* Hæc eadem confirmata sunt, per Samuelem. Quid autem Heli respondit? Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat. Pluris fuit, in oculis Domini, bonum fuisse: licet, in oculis hominum, tanta congeries pœnarum mala esset. Ita mala pro malis recipiens patienter, bonus esse cœpit. Quid DEO potest esse magis gloriosum, quàm ex malis tot bona facere?

X.
Saluian. lib. 1.
de vero judi-
cio, & pro-
uidentia Dei.

Enimuerò mala bonis bona esse, elegantissimè docet Saluianus Massiliensis Episcopus. *Aiunt, inquit, à Deo omnia prætermissi, quia nec coërceat malos, nec tueatur bonos, & idè in hoc seculo deteriorum admodum esse statum meliorum: bonos quidem esse in paupertate, malos in abundantia: bonos in infirmitate, malos in fortitudine: bonos semper in luctu, malos semper in gaudio: bonos in miseria & abiectione, malos in prosperitate & dignitate. Primum igitur ab ijs, qui hoc ita esse vel dolent, vel accusant, illud requiro de Sanctis, hoc est, de veris ac fidelibus Christianis, an de falsis & impostoribus doleant? si de falsis: superfluous dolor, qui malos doleant, non esse beatos. Cum utiq; quicunq; mali sunt, successu rerum deteriores fiant, gaudentes sibi nequitia studium bene succedere. Et idè, vel ob hoc ipsum, miserrimi esse debent; vel mali esse desistunt, vindicantes improbijs questionibus nomen religionis, & preferentes ad sordidissimas negotiationes titulum sanctitatis: quorum negotijs, si miseria comparentur, minus sunt miseri, quam merentur: quia, in quibuslibet miserijs constituti, non sunt tamen tam miseri, quam mali. Nequaquam ergo pro his dolendum, quòd non sint diuites, ac beati: mul-*

to au-

to autem pro sanctis minus: quia quamuis videantur ignorantibus esse miseri, tamen non possunt esse aliud, quam beati. Superfluum autem est, ut eos quispiam, vel infirmitate, vel paupertate, vel alijs istiusmodi rebus existimet esse miseros, quibus se illi confidunt esse felices. Nemo enim aliorum sensu miser est, sed suo. Et ideo non possunt, cuiusquam falso iudicio, esse miseri, qui sunt verè suà conscientia beati, nulli enim, ut opinor, beatiore sunt, quam qui ex sententia suà atq; voto agunt. Humiles sunt religiosi? hoc volunt: pauperes sunt? pauperie delectantur: sine ambitione? ambitum respuunt: inhonori sunt? honorem respuunt: lugent? lugere gestiunt: infirmi sunt? infirmitate latantur; cum enim, inquit Apostolus, infirmor, tunc potens sum. nec immerito sic arbitrat, ad quem Deus ipse sic loquitur: sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Nequaquam ergo nobis hac dolenda est afflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem esse virtutum. Itaque quidquid illud fuerit, quicumq; verè religiosi sunt, beati esse, dicendi sunt, quia inter quantumlibet aspera, nulli beatiore sunt, quam qui hoc sunt, quod volunt. Hac ille.

Ex quibus huc vsque dictis deducitur, à nemine Fortunam conditionemque suam, aut cælum accusari oportere, quasi malo astro natus sit. Præterquam enim, quòd plurima astris ascribantur falsò, ea tamen ipsa, quæ verè ijs attribuuntur, bona potiùs, quam mala debet appellari; quod etiam de ceteris Mundi partibus est arbitrandum. Quemadmodum enim sunt, qui, prætermissa cæli magnitudine, velocitate, venustate, luce, splendore, vicissitudine, ornatu, benigno influxu, vsu siderum ad navigationes, ac multiplici vtilitate, Saturni rigorem, aut furorem sibi à Marte ingenitum accusant: ita etiam reperiuntur homines, qui iam ignem, iam aërem, iam aquas, iam ipsas terras execrantur, in quibus aliquid sunt passi: quasi velint, hæc ipsa elementa è medio tolli; atq; adeò Mundum ipsum destrui, in tantas à DEO vtilitates conditum. Destructis enim partibus, necesse est, destrui Mundum. Eò impatientia mortalium progreditur, ut sapientissimum Vniuersi opificem, in vicem laudis, carpere, immo & corrigere tentet, non iam sus Mineruam docens; sed incredibilis amentia DEVM infinitè sapientem. Cuius tam immensa est bonitas, ut nos doceat, posse etiam ex ipsis peccatis bonum elici. *Hæc sunt*, ait S. Augustinus, *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, & tam sapien-*

Thom. de
1. di. q. 2.
c. 100.

XI.

III.

S. Augustinus
in Enchirid.
c. 100.

ter exquisita, ut, cum Angelica & humana natura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa, fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est, quod Creator noluit, impletet ipse, quod voluit, *BENE VTE NS MALIS* (& quidem simpliciter ac summè malis nempe peccatis) tanquam summè bonus, ad eorum damnationem: quæ est actus iustitiæ scelera vindicantis. Hanc iustitiam si imitantur Magistratus, & Superiores, vel quicumque potestate in alios pollent, vtuntur & ipsi veris malis benè. Nam, occasione peccatorum, calum merentur; sicut & illi, quos aliorum iniuriæ & tyrannis ad martyrium exercet. Denique nemo est, qui non possit, ex ipsis aliorum vitijs, virtutem discere. Audi perfectionis magistrum. *Illæ, ait, studeas magis cauere & vincere, quæ tibi frequentius, in alijs, displicent. Vbiq; profectum tuum capias: ut, si bona exempla videas, vel audias, ad imitandum accendaris. Si quid autem reprehensibile consideraueris, caue, ne idem facias; aut si aliquando fecisti, citius emendare studeas. Si culpæ malum prodesse potest, quanto magis malum naturæ?*

Thom. de
Kemp. lib. 1.
de imit. c. 25.

IX

XII.

Sed descendamus ad peculiaria, quæ sunt naturæ, & vulgò simpliciter mala existimantur, atq; per certas classes, exemplis historijsque iudicia æquissima DEI demonstramus, eamulq; primùm per ea, quæ extra hominem sunt; vt de cælo fulmina, grandines, tempestates; & quæ cæli aërisque (quippeni & ignium?) iniuriæ appellantur: per pericula aquarum, & terrarum; item per inopias, paupertatem, matrimonia mala: per monstra, è matrimonijs nata, aut certè per monstrosas natorum deformitates: nec non per hominum afflictorum & affligentium infamias, & calumnias, insidiasque. Tum, quæ cruciant in proprio corpore, consideremus; vt sunt morbi, vulnera, truncationes, neces immaturæ ac violentæ; itemque quæ communitatem totam inuadunt ac plures depopulantur, vt fames, pestes, bella. Deniq; quæ animam ipsam potissimùm affligunt, vt graues tentationes, desperationes, malæ mortes. quæ omnia sunt in Mundo; omnia sunt, DEO iustissimè vel immittente, vel permittente? cuius æquissimam voluntatem vel tempus reuelat, vel fides & ratio approbat, vel historia narrat; dum ipsâ culpæ vituperatione, pœnæ iustitiam commendat. *Vtinam tibi, ô Lector (ad quem verba Mercurij ad filium fa-*

cta.

Et transfero) Viam tibi daretur facultas, vt alarum adminiculo in sublimem aëris plagam volares, medianq̄, inter cœlum ac terram, regionem sortitus, conspiceres terra quidem soliditatem, maris diffusionem, fluxum fluminum, aëris amplitudinem, ignis arctam celeritatem. O felicissimum, fili, spectaculum, ô beatissimam visionem! Siquidem vno luminum motu, seriem totius mundi comprehenderes, immobilisq̄, factorem concirum, latentem quoq̄, perspicuum cerneres.

C A P V T. III.

DEI opera iudiciæ, etiam in Fulminibus, & igne & aëre, & reliquis iratis mundi elementis, esse laudanda.

Am est abundans Numinis bonitas, vt non solum in Filium ac S. Spiritum redundarit, sed etiam in creaturas, velut extra familiam, sese effuderit, hominemque condiderit, hominisque causâ, cætera omnia; vt existerent, de quibus, & in quos esset liberalis. Quod si totus mundus, hominis causâ, factus est, partes quoque mundi, hominis causâ, erunt; cælum, terra, aqua, ignis, aër. De quarum partium pulchritudine, vilitate, ac necessitate etsi multi tractauerunt, & vel in pueros satis constat, vitium tamen alere videntur nonnullis. Vnde & Momos habent. Quid enim? siderum noxij sunt aspectus; in aëre vafaniunt venti; colliguntur intempestiua pluuiæ, quæ lapides effundunt; molestissimū est, per imbrem, facere opus: ibi humor in pestem putrescit; ibi minatur fulguratio; terrent horrida nubes; mugiunt rauca tonitrua. In mari procellæ & tempestates commouentur, & turbo totas classes dissicit; euertit, mergit. Fluminum cluuiiones, inundationesque aquarum, quas non dederunt vastitates? In terra sterilitates, ac metuendi tremores; illæ quidem homines, isti autem, & ciuitates, & homines hauserunt. Ab igne natæ sunt tot insignium domorum, tot magnarum vrbium populationes. Hæc talia imperitis DEVS, si bonus est, in mundi partibus, censetur creare, aut permittere non debuisse.

Verum, vt à fulmine & igne, velut à Ioue, incipiam, qui rectè calculum ducit, meritò canit: *Benedicite ignis & astus Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.* Equidem liquide intelligit, lucem

Pimander: cap. 3.

I.

Vide Plutarch. lib. A. qua, an ignis vilior.

II. Dan. 3. 66.